

# GEMITVS ACERBI

ACERBISSIMUM DOLOREM  
sapientum aperientes.

LACHRYMARUM UNDANTES  
imbres Sertoriano ex Olympo profilientes  
in Regiis Funeribus LUDOVICI PRIMI  
HISPANIARUM REGIS.

TRISTIA VESPERTINA LAMEN-  
TA, Funebri Panegirica Oratio,

QUAM SERTORIANI ATHENÆI  
nomine In Nazaræo Cathedrali Delubro,  
ad Solis occasum, publicè  
declamavit.

R. P. M. Fr. BERNARDVS LOSTALÒ, *Libera-  
lium Artium Magister, ac quondam semel, & ite-  
rum Moderator, ex conductione Scoti Cathedræ  
Regens, Sacræ Theologiæ Doctor, Synodalis Exam.  
in Carmelo Oscensî antea Prior, nunc Studiorum  
Regens.*

CVM LICENTIA ORDINARI!

OSCÆ: Apud Bonam-Venturam de Larumbe,  
Univ. Typ. Anno 1724.

GEMITVS ACERBI

ACERBISSIMUM DOLORUM

specimens

LACHRYMARUM UNDAENTES

impres sermone ex Olympo profluentes

in Regis Funeribus Ludovici Primi

HISPANICARUM REGIS

TRISTIA VESPERTINA LAMEN-

TA, Funeribus Paenitentia Oratione

QUAM SERTORIANI ATHENAE

nomine in Naxos Cathedrali Delpho

ad Solis occasum, publice

Edidit

RI. P. N. P. BERNARDVS LGSTALDVS, Librum

hunc hunc in Regibus de quibusdam

Regibus, hunc in Regibus de quibusdam


in Carthago Oratione, hunc in Carthago

CVM LICENTIA ORDINARII

OSCAE: Apud Bonam Veniam de Larambe

Vniv. Typ. Anno 1724.

BIBLIOTECA  
PUBICA  
PROVINCIAL  
ALBACA



CATHOLICO HISPANIARUM REGI MAGNANIMO

PHILIPPO QUINTO.

S. C. M.



**M**AEST AT IS tuæ scripta percepi (ut  
verbis D. Hieronimi) in quibus ani-  
mum tuum dolore commotum de Fi-  
lii dormitione cognovi. Non aliud  
principaliter admiratus sum, quàm  
Magnanimi Christiani pectoris in te ablatam fuisse  
virtutem. Et si (ut in simili D. Amb.) incrementum  
doloris sit id, quod doleas, scribere tamèn plerumq;  
in ejus, quem amissum dolemus, commemoratio-  
ne, requiescimus. Eo quod, dum in eum mentem  
dirigimus, videtur nobis in sermone revirescere,  
& doluisse plerumquè solatium est dolentis. Itaque  
perfunctus es quandiu licuit concessio tibi scenore:  
qui deposuit pignus, recepit. Nihil abstulit tuum,  
qui dignatus est recipere proprium. Si ergo debi-  
tum est mors, solutio debet esse tolerabilis. Si lu-  
ctum horrueris, & te obtulisse pignus Deo deputari

S. Hyer. ad Ty-  
tas.

S. Amb. in obit.  
Valent. Imp.

Idem de obit.  
Satyr.

S. Hyer. ad Tyr.

S. Amb. de fide  
Rey.

S. Hyer. ubi sup.

poteris. Secundum votum tuum habe post Abra-  
ham, si non potes primum, ut quod ille non dubi-  
tabat offerre, tu fortè videaris, de sublato gaudere.  
Ab illo Dominus (*unigenitum*) postulavit, à te (*Pri-  
mogenitum*) tulit. Ille iussioni paruit, tu voluntati  
consentias. Nunc autem (*Pie Philippe* contra lu-  
dum sumenda sunt arma, ut spes nostra possit ha-  
bere victoriam. Tu ergo excute eam multam tristi-  
tiam, & depone abs te multitudinem dolorum, ut  
tibi repropitiatur fortis, & requiem faciet tibi Al-  
tissimus requietionem laborum. Gaude tibi quod  
filium Christianum mereberis sequi: quem secutus,  
in Cœlo gaudeas rursus amplecti. Non te deseruit,  
sed præcessit. Nec potest vita æterna succedere  
nisi hinc contigerit exire, non est exitus iste, LV-  
DOVICI, sed transitus; & temporali itinere decur-  
so ad Æterna transgressus. *Faxit Deus.* Si flere in  
oratione virtutis est, teste D. Amb. hæc Sertoriana  
*Academia* flendi desiderium, in sui *Mæccenatis exci-  
dio*, precandi assiduitate compensat: Lachryma-  
rum ubertatem, tunc præcipuè, quando nemo in-  
terrumpere possit, instaurans, *perpetuò Deum rogās,*  
*quod cuncta tibi fortunet, & veræ felicitatis partici-  
pem reddat.*

Idem.

Esdras l. 4. c.  
10

S. Hyer.

S. Cipr. de Im-  
mor.

S. Amb. de O-  
bit. frat.

Vestræ Sacræ Catholicæ Maiestatis  
manus deosculatur.

*Oscensis Sertoriana Universitas*



**V**IS dabit oculis meis fontem lachry-  
marum, <sup>1</sup> ut amare fleam mise-  
rabilem humani generis sortem?  
Conversæ sunt festivitates nostræ  
in luctum, & cantica nostra in plan-  
ctum. O dira, atque dura fors! Funestatus est His-  
paniarum decor, Sertorii mutatus est color opti-  
mus, tristibus in tenebris tristis, & Olca jacet, lap-  
sæ sunt jam res nostræ, terret terrarum orbis, &  
obstupescit.

<sup>2</sup> Flet Religiosa Academia nostra (Fle igitur,  
sed *dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum*  
(<sup>2.</sup>) Pignus suum, & *lachrymæ eius in maxillis*  
*eius* <sup>3</sup>

<sup>3</sup> Si tanti causam liceat proferre doloris: sin-  
gultusque sinant tristia verba dare? *Loquar* <sup>4.</sup> &  
*respirabo paululum, aperiam labia mea, & respondebo.*  
*Sol cognovit occasum suum* <sup>5</sup> ait Regius Psalmo-  
graphus, solemque suum sua sydera norunt. *Sol*  
*eclypsim patiens omnia decolorat, ut testatur D. Anto-*  
*nius Paduanus* <sup>6</sup> & *tristes sine sole dies ducimus ad-*  
*dit S. Amb.* <sup>7</sup> unâ mecum quæso, Ornatissimi au-  
ditores, adesto luctus socii, comites què doloris.  
*Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me.*  
(<sup>8</sup>) *Nùm ignoratis, quoniam Princeps, & maximus*  
*cecidit?* <sup>9</sup>

1. Hyer. 9.

2. Iob. 10.  
13. Tren. 1.

4. Iob. 23.<sup>1</sup>

5. Psalm. 103

6. D. Ant. de  
Pad.

7. S. Amb. in  
c. 12. Eccles.

8. Iob. 20.

9. 2. Reg. c. 3.

4 Primitiam enim sobolis Regiæ, florem roboris, spem, præsidiumque senectæ, L V D O V I. C V M (proh dolor!) PRIMVM (O Hispania in prima tui spe jam celeritèr infortunata!) Fatalis Parcarum lex, precibus, ac præcantibus surda durescentem in cadavere, & arescentem in pulvere prostravit.

10. D. Bern.  
Serm. 26. in cāt.

5 Quis, Lycæum sapiens, oneri suscepto non succumbat? *Quid mihi, & cantico huic, qui in amaritudine sum?* 10 Quid me alta silentia rumpere, obdumque jubes, verbis vulgare dolorem? Sortiar dumtaxat, quia mihi jussum, duram provinciam istam.

6 Tamquam funerum mortisque Dea in L V. DOVICVM Nostrum hyrcana exitit Libitina. O formidabile, ac dictu horrendum ex immoderatione, & infortunio monstrum coalescens! In nihilum omnia redigis, omnia præripis, æquo pede omnia pulsas, nemini parcis, ac demum diademata demis. Nec fletus te movent, nec voces exaudis, nec munera curas. O sine lege libertas! Quid restat ultrà, sævus ut crescat furor?

7 Iam in ærumnæ mari assurgit procella furens, quam sævè adverso spirat ab axe Notus. Nō nisi hircino sanguine nostrum conteris Adamantem. Non ut fulmen feris, quoniam Lauro nostræ non parcis. Sed velut sagittarius telum vibrans, vel equidem satius, ut æstate vipera immanis Sacrum Liliū Regii Borbonici ferri exustum, luridumque discindis.

8 Nec ultrò compescis iras, dum non multis ab hinc annis in Serenissimam Dominam M A R I. AM,

AM, LVISSAM, GABRIELAM à Sabaudia, *Mulierem fortem* 1 Salomonis eloquio dignam quæ interbellicos Martis strepitus in lucem **LVDOVICVM** edidit, ab lactavit, & enutrivit, arma, furore tuo ministrasti, & post Matrem protinus ad obitum iter in hujus Bellonæ, natum festinasti, ac conatu insatiabili subvertisti. O immanitas dolore moras erumpens!

1. Parab. 31.

*Hunc Martis, Mortisque ferum, Ludovice, furorem*

*Morte LVIS PRIMVS, Marte secundus ades.*

9 Velut cupressus, quæ, & si excelsa virens, ac funerea extat, sic **LVDOVICVS** Augustus, æternum servans ævo virente decus, excelsus licet, virens, & funereus inest. Hic Poeta.

*Nil te habuit mundus, quod posset cernere majus:*

*Nil mors, quod possit vincere majus habet.*

10 Sed quò feror cum pro me Sanctus declamet Ambrosius? 12 *Hodie, inquit, videas Adole-*

12. S. Amb. in

*lescentem validum pubescentis ætatis virtute florentem*

Exal. 3. 6. 7.

( vix septem, ac decem annos, & sex dies explet )

*gratiæ specie* ( erat enim speciosus forma præ filiis

Regis Nostri Philippi ) *suavi colore præter corpo-*

*ris elegantiam, faciem gratam Imperio dignam,*

*inerat mitis severitas, & magnetica humanitas illi,*

*crassina die tibi facie, & ore mutatus occurrit, & qui*

*pridie tibi lautissimus decore formæ visus est gratia,*

*alio die miserandus apparet ægritudinis alicujus infir-*

*mitate resolutus.*

11 En qui pridie flos, atque splendor, postridie

pulvis, & umbra, hodie alter ab ipso, qui heri Rex

adolescens; heri in throno, qui hodie in tumulo,

pridie pollens, qui postridie pallens, eonamque ci-

tius

3

13. Mūd. Simb.  
V. liliū.

cius, quò propugnaculum celsius pondere suo cadit. Huc flectit elegiacum illud *Mandi symbolici* in funere Regio Ludovici XIII. Galliarum Regis 13

*Suppositum calcas moriens flos Regius Orbem:*

*Nec florem impediunt subdita Regna mori.*

*Nec te Orbis, nec te sceptrum, Ludovice, juvabunt:*

*Ipsa etiam morti subditus Orbis erit.*

14. Phil. Alex.  
de Prov.

15. S. Amb. de  
Obit. Valent.  
Imp.

16. Idem. in  
Obit. Ihe. Imp.

ni. d. m. A. 2. s. 1

17. Sap. 4.

18. Cat. Mai.

19. Lic. Phil.  
14.

12 In ipso floridioris juventæ flore elanguit Noster Borbonicus liliatus juvenis *Brevi adeo extinguitur tempore, ut antequam florescat, defloruisse videatur, ut Philo Alexandrinus effatur* 14. Sed audite, lustrans in solatium præclarum Ecclesiæ Iubar Ambrosium: 15 *estò tamèn dolendum si quòd primæva obierit ætate, gratulandum tamen, quòd virtutum stipendiis veteranus decesserit. Perfecta est ætas* 16 *ubi perfecta est virtus, & Rex Noster in flore ætatis ad maturitatis fructus pervenit. Ausim dicere, ni avivis præmaturè decessisset, nusquam, forte, deliquisset. Liceat illa D. sapientiæ in ejus laudem usurpare verba* 17 *placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum. Quis est enim, exclamat Cato Major, quamvis sit a-* 18 *dolescens, cui sit exploratum, Se ad vesperum esse victurum? Sanè LVDOVICO brevis vita data est, ab memoria benè redditæ vitæ sempiterna.* 19

13 Sibi ergo extremum censens Catholicus LVDOVICVS semper adesse instans, se prius laboravit morti, quam vitæ parare. Bis vixit, & diu, quia benè vixit: vixit etiam benè, quia benè rexit. Omnia ita virtuti conciliavit, ut præter virtutem nihil speciosum conspexerit, nihil delectabile amaverit: erga Divos cultu: erga Religionem obsequio:

erga



erga Fratres benevolentia : defensione erga viduas, LVDOVICVS re, & nomine Primus : erga indigentes misericordia nemini secundus. Tanta erga egenos pollebat pietate, ut prius in eo spiraret manus, quàm munus, nec illud delirium patiens, præludium mortis, pauperum fuit oblitus. Vitæ innocentia, veritate eximia, summa æquitate, ac prudentia ducibus, ad laudis conscendit, etsi invitus, fastigium, & honoris: *Et adeptus est gloriam in conversatione gentis.* 20

*Digna lege virtus, ultrò se purpura supplex*

*Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.*

14 Borbonius Noster LVDOVICVS è Cælo lapsum nomen, & omen habuit in ortu, & tutam è in occassu. Tam addictus necitare Sacrosancto seminiendi, Sanctique Tertii decimi Avi sui Ludovici Noni Galliarum Regis adeò fuit exortus Imitator, ut auspicio fausto, die Iovis Augusto Sacra Sacramento, & vigesima quinta Augusti Sancti sui nominis *Ludovici* vitam ingressus, intra illius diem, & hujus infra octavam fuerit vita functus: Helyotropii instar, quod teste Plinio, 22 *Solis ortum manè spectat, & ejus iter ita sequitur ad occassum, ut ad eum semper spectet.* O eximiae virtutis, Regumque Archetipus LVDOVICVS.

*Fælici factò in lucem LVDOVICVS adivit:*

*Nec potuit fato nobiliore mori.*

15 Tabifico languore jam premète, vix pallida cubito levare poterat membra: nec fuit in Medicis Rex relevaretur, ut æger: *interdum docta plus valet arte malum.* 23 *Tempus resolutionis suæ instare cognoscens, 24 non epulas sumebat, nisi*

*cœle-*

So Eccli. 30.  
21. Claudian.  
de 4. cōsul. Hō.

22. Caleo. V.  
Helyot.

23 Ovid. de Pōt  
l. 1. Eleg.  
24. 2. ad Thim.

4.

coelestes, non dapes nisi Divinas, non libamina nisi  
Sacra. At quæ lingua exponet illum anteaactæ vi-  
tæ dolorem? Quæ, devotionē miram, qua genibus  
flexis Viaticū Sacratissimum suscepit? Quæ, exhor-  
tationem ad suos, cum jam spem recuperandæ salu-  
tis invida mors abripere festinaret? Quæ, ardentissi-  
mum Christi Iesu amorem, cum jam vita pende-  
ret in fine? Hisce actibus, & virtutibus diem clau-  
dit extremum LVDOVICVS. Sed ò tragœdiæ la-  
chrymosæ Theatrum! *Memoria memor ero, & tabes-  
cet in me anima mea.* 25

25. Tren. 3.

16 Proclamatus fuit Rex Noster LVDOVI-  
CVS PRIMVS in hac victrice Civitate labente an-  
no, ingenti omnium plausu, & cumulata lætitia; ac  
qua die? Dominica secunda Quadragesimæ, qua S.  
M. Ecclesia proponit Regem Regum Christū Do-  
minum nostrum à P. E. proclamatum, & transfigu-  
ratum in *Thabor*, qui juxta D. Hieronimum *Tha-  
lamus Sepulchri interpretatur.* 26

26. D. Hyer.

Hæcine gaudia  
principia doloris nostri, tristia lætis, dulcia permil-  
centur amaris, *risus dolore miscetur, & extrema gau-  
dii luctus occupat.* 27 *O fallax lætitia! O incerta hu-  
manarum rerum curricula!* 28 Vexillū Regis, quod  
tūc ter elevatum prodiit, ejus excidio nūc involu-  
tū cernitis. *Sæpè honor seculi abit antequā venerit.* 29

27. Prov. 14.  
28. S. S. Amb.  
be Obi. Satyri.  
29 Idem in 4.  
Math.

17 Ultima Augusti die, ultima vitæ LVDO-  
VICI. O quam obscurus est hic mensis duplici or-  
bi splendidissimi jubaris sui claritate sepulta. Bor-  
bonicam opratam lucem *ex ore lampadis Hispaniæ*  
dedit Augustus, sed protinūs de medio rapuit ex-  
tinctam. O infauftus ex Augusto versus mensis!  
Optimum tibi nomen, pessima tamē facta: Tuo

Philippus os  
lampadis inter  
præatur.

enim

enim lethifero sirio æstu, quòd primū suppedita-  
sti, brevi avulsisti cursu, vitale, lumen. Meliùs nunc  
temporis *Sextilis*, & quondam *Augustus* dicereris.

18 Infaustus fuisti simulator, qui, ut angustiariū  
virus lethale biberemus Iberi, obitum in ortu simu-  
lasti, Nec tristia tantum pocula, sed amaricata bi-  
bere cum multo felle fecisti, & parūm prodest do-  
lori nostro tota urbana tua simulatio. Quid hoc  
durius?

19 Mane etiā in noctem convertisti, Regiā  
clariorem lampadem obscurasti, ejusque exoptatū  
lumen extinxisti. Quò magis Hispani freti dolorū  
parasti copias, triste incutiens facinus, tacitaquē  
exæstuans ira. O nobile perpeti ad ignobile vexare  
submissum! Iam non ampliùs de Augusto loqui, sed  
solum silere libet: silētii meritò Deitati ab Ægypti-  
is dicatus fuit.

20 Nunciata jam Catholici LVDOVICI vice,  
quid Magnanimus Philippus sine Primogenito suo,  
quem ita charum semper habuit, ut inter omnes  
charos charissimus esse videretur?

*Stabat in hoc Nato chari omnis cura Parentis.*

Quid ageret, nisi his D. Amb. verbis silentia rum-  
pere? Quo turbo fugavit meum nocte, dieque ju-  
bar? O proles mea, ubi es? *Ego te, 30 fili, heredem*  
*feceram, tu me heredē reliquisti. Ego te superstitem op-*  
*tabam, tu me superstitem dimissisti. Quid agam mei*  
*Successor heredis? Quid agam meæ vitæ superstes? Quid*  
*agam exors hujus, quod capio luminis? Nisi lachry-*  
*mis stratū meum rigare; cum Anaxagora sic loqui:*  
*Scio me genuisse mortalem 31 & cum Idumeo Rege,*  
*sic me conformare voluntati Divinæ: Dominus dedit*

30. S. Amb. de  
Obit. Saty. ibi  
Frater.

31. Anaxas.

Domi-

*Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. O, Sacrificium voluntatis, admiratione dignum!*

21 Quid Serenissima Philippi Sponsa Regina, & Domina Nostra *Maria Elisabeth Farnesio*: Veluti Mater tenera tenerrimam diligens sobolem illico ac scivit **LVDOVICVM** exanimum:

*In lacrymas oculi triste in suspiria pectus*

*Ivit, & in vultu signa doloris erunt.*

22 Si nihil fideli turturi durius, quam dirus consortis discessus; quid utique Dolorosissima Domina, & Regina **LVISSA** de **BORBON** quarto decimo ætatis anno sponso charo suo viduata? O stupor! Tam fero ictu miror lapsu non cecidisse pari. *O dira mors! Bene mors* (exclamat lugens Bernardus) *quæ unum rapiendo, duos furiosa peremit.* 32 In ruina tanta, in mortis tam horrendo divortio: *intraverunt aquæ usque ad animam ejus.* 33 In tam inopino excidio: *circumdederunt eam dolores mortis.* 34 In tam præmaturo Sponsi discessu: *Infirmata est, & perit expectatio ejus.* 35 Posita desolata, & semiviva relicta in amaros lumina fletus solvès, singultus inter, hæc forsitan cum Iob tristia verba daret: 36 *Spoliavit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo, destruxitque me, & pereo. O amplexus miseri,* 37 *inter quos exanime corpus obrigit, habitus supremus evanuit. Stringebam quidem brachia, sed iam perdideram, quem tenebam: & extremum spiritum ore legebam, ut consortium mortis haurirem. O fidelis Turtur nocte, dieque gemiscens.*

*Non equidem dubito, quin hæc, & cætera fiant:*

*Det quæ tuus mæsti signa doloris amor*

32. S. Ber. Obit. Ger.

33. Psal. 68.

34. Psal. 114.

35. Ezech. 19.

36. Iob. 19.

37. S. Amb, de Obit. Saty.

38. Ovid. Trist. lib. 4. Elog. 3.

23 Quid etiam Serenissimus *Ferdinandus*, atque ex Philippo Patre fraterno sanguine juncti, nisi eō festim trepidando cōtristare, & lugendo Osee verba proferre: 39 *consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres dividet.* Hic Hieronimus. O mors 40 *quæ fratres dividis, ac amore sociatos crudelis, ac dira dissocias! Frater 41 erat genere, sed amore germanior. Dolete quæso vicem meam vos omnes, quibus hæc nota sunt.* Hæccine dolore infando, potiùs quàm raucis, etsi vocibus exploranda.

39. Osee 13.

40. Hyet. Epis. 3. ad Heliod.  
41. S. Ber. in Obi. frat.

24 Quis verò funera fando explicet, aut possit fletibus æquare dolorem? Solùm autèm, L V D O VICE chare, qui te condolere nescit, quid sit te amittere callet. Plus sensimus, 42 *quod habuimus, postquam habere desivimus.*

42. Hyer. ubi supra.

43. Catul. ad Malium.

*Omnia 43 tecum unà perierunt gaudia nostra, quæ tuus in vita dulcis alebat amor.*

25 O Hispania, quæ in misera luctus nocte tota gemebunda jaces! Non immeritò cum D. Bernardo conlugere potest. Heu! *sublatus es, L V D O VICE, & hæc omnia simul. Tecum omnes pariter abiere deliciae, & lætitiæ meæ.* 44 Meritò ergo (ornatissimi Auditores) flendus ab omnibus, etenim qui votis omnibus exoptatus, nobis est ortus, festivis omnium gratulationibus exceptus; non nisi omnibus lugentibus potest latere sepultus.

44. S. Ber. Sermo. 26. in Cāt.

*Pundite prælargos oculorum fontibus imbres:*

*Iactura in simili non levis esto dolor.*

26 *Neque taceat pupilla 45 oculi tui, Illme. & Rme. Dñe. nam fractum est pretiosissimum (Hispaniæ) margaritum, virens smaragdi gemma cōtrita est.*

45. Thren. 2.

27 *Plange amaricata docta Minerva tanta incum.*

46. Sap. 6.

cumbente ruina. Mœcenas noster disparuit, quo regnante sapientia præfuit, juxta Divini sapiētis præscriptum: 46 *Reges populi diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. Faxit Deus.*

47. S. Amb. in  
Obi. Val. Imp.

28 *Si in tam immatura priorum Principum morte quedam verecundia omnis Ecclesiæ mœstior pulchritudo est, ( ut dicebat Ambrosius 47 O S. Oscensis Ecclesia in, Regem, mortuum produc laebrymas, & quasi dira passus incipe plorare; LVDOVICO pereū-*

48. Eccl. 38.

49. S. Greg.

Nis. in fun. Pril.

te perit 48 *Fidei Zelus, Ecclesiæ columna, altarium ornatus. 49*

29 *O Victrix Osca; iam ingenti dolore victa Romanorum instar, quorum, teste Hyeronimo, non minor in luctu, quam in bellis virtus, perennes effunde fletus, quia corruit duplicis Orbis Atlas, famæ finis, & sæculi nostri Phœnix.*

50. 2. Paralip.

9.

51. Ex Ter. 47.

Macro. Dni. est

Mors.

30 *O Egregia Borbonica Legio, quæ nunc pervenis, & illicò templum ad intras, ut unâ nobiscum justo LVDOVICO Augusto justa perfolvas: tristitiæ gemitus ad Sydera usque mitte, dum LVDOVICVS de Borbon, à quo nomen, & numen habes, funere demergitur laehrymabili. Gloriaris, te Nobilissimum Chiliarcum habere, qui ut *Arx* munitissima antea propemodum induit arma, quam mēbra: excordantur tamēn hoc funere Regio vires, quia obiit, qui vix terram institerat, & jam ardua bella tangens, vicit famam virtutibus suis. 50 *Voce, animoque geme, Vexillum involve, & si licet Verba usurpare Prophetæ: arcū contere, confringe arma, & scuta combure igne. Quid tibi opus armis, si cōtra mucronem Domini, si qui Regias Lauros detrūcat, non potes ferre victoriam?**

31 Prohibent ulterius prodire lachrymæ, fletusque  
revocant 52 Plangite, igitur, sed super vos ipsos flete,  
quia supra illum jam vetat ratio, 53 Immaturè oc-  
cubuit.

52. S. Amb. in  
fun. frat.

53. S. Ber. in-  
ob. Ger.

At non interiit, jam nunc ad sidera raptum  
Pectoribus nostris vivere credit amor.

32 Finem loquendi omnes pariter audiamus: 54  
Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim om-  
nis homo. Consonat S. Petrus Damianus 55 Dum  
precipuis hominum tam angusti temporis compendio  
moritur, tremefactus quisque ad prestolandum sui obitus  
custodiam provocetur.

54. Eccles. 12.

55. S. Petrus  
Dam. l. 1. Ep. 17.

33 Lachrymis jam, sacer Philippe, spes, & so-  
lacia nostri, finem imponimus, ut quod in labiis me-  
is adumbratio tantum, (omnia nec nostro compre-  
hendi carmine possunt) animis sit angor, cordibus  
mœror, ac sensibus stupor. Tristia mea. Tristia mea  
remotantur verba, ut quæ ore exigua retuli-  
mus, plura cordibus sint affixa: verè namquè dolet,  
qui, sine teste dolet.

Natal. comp  
de vecant. l. 1

34 Sed cum ignoremus, quid agere debeamus, 56  
hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus  
ad te, sperantes nos à te accepturum solatium, cum  
Patronum ablatum lugemus. Respice ergò Univer-  
sitate nostram Sertorianam tua piissima digna-  
tione tuam, quæ lachrymis pascitur, delinitur fletibus,  
stupore defigitur, 57 ademptum dolens fidele au-  
xilium. Et si, ut Sacrum testatur eloquium, 58 qui  
lugent ipsi consolabuntur, faxit Deus O. M. ut tri-  
stitia vestra convertatur in gaudium, 59 & Noster  
peramandus L V D O V I C V S de terreno, ac  
temporali Hispaniarum Regno ad Cælestis, &  
æter-

56. 2. Palip.  
20.

57. S. Amb. de  
fide Rest.

58. Math. 5.


59. Ioann. 16.

60. Psal. 1.

æterni Regni gloriam sic translatus, in pace factus  
sit locus ejus. 60 & habitatio ejus in Sion

A M E N.

Non dico dixi, nam haud dixi, dicere cæpi:  
Incipere in mæstis, est potuisse satis.



O. S. C. S. R. E.

